



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Compendiolvm Historiæ Trivm Martyrvm E Societate Iesv, in Iaponia Crucifixorum

Collaço, Antonio

Coloniae, 1628

4. Quosnam Regis sententia comprehenderit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45069**

Ethnici Praefecti occasionem fumerent Christianos persequendi, vnus inter alios ita restitit, vt dixerit; *occidere me potes; sed adigere, vt fidem deseram, non potes.* Plura in ipsa relatione anni 1597. videri possunt, maximè fol. 28. 29. 31. 47. 49. & seqq. item fol. 60. 65. & seqq. 68.

§. 4. *Quosnam Regis sententia comprehenderit.*

**I**Nitio quidem rumor sparsus est, quasi Rex omnes Christianos, aut certè omnes Euangelij pracones necari iussisset, quod quidem fundamentum habere potuit, vel ex errore vulgi, vel ex instabili ipsius Regis sermone ac voluntate. Nam cum vulgus omnes Christianos, Patres vocet, ex illo factum, vt audito Patrum nomine, populus de Christianis omnib. intelligeret. Et Rex ipse in hoc genere satis instabilis fuit, Nunc cum Vfoio dixit : *vtrosque*

B. 3. (Patres

(Patres Societatis & Franciscanos)  
 poenam suo sanguine luituros; nunc  
 cum Cicugendono eius iram sedan-  
 ti respondit: *tollam tantum ex illis 5.*  
*Velio; reliquos ludibrio expositos post*  
*precisas nares atque aures in regionem*  
*suam amandabo.* Undecimo autē De-  
 cemb. Fuscimi ad se vocato Gibo-  
 nescio mandauit, vt *Patres oēs morte*  
*multaret* 12. tamen eiusdem mensis,  
 eidem, vt sententiam suam clarius  
 explicaret roganti, respondit *se de*  
*Patribus Philippinis tantum intellexisse,*  
 ob suspicionem Iaponiæ (opera eo-  
 rum, vt supra §. 2. causa 4. est ex-  
 plicatum) inuadendæ; Patres vero  
 Societatis, & maximè P. Ioannem  
 Rodrighes suum interpretem, vna  
 cum Episcopo alijsque eius comiti-  
 bus prorsus excepit, iussitque hæc  
 ipsa, illis statim nuntiari. Si quis au-  
 tem quærat, i. cur Rex Patres Soci-  
 etatis qui ab anno 1548. Euangeliū  
 in Iaponia prædicabant, ac plus quã  
 tre-

trecenta animarum millia sub sua cura habebant, exceperit? Huic respondendum: *principem huius rei causam, Dei prouidentiam videri*, qua effectum, vt sublatis dissensionum seminibus, sex Patres Franciscani, aditum ad martyrij palmam inuenirent; alij 5. ad suos redirent, vineaque Ecclesiae Iaponicae, sacro martyrum sanguine irrigata, vberiores in posterum fructus daret. Præterea si ad humanæ rationis calculos rem totam exigere velimus, tres videntur causæ fuisse, cur Rex, Patres Societatis ab hac mortis sententia exemerit. prima sumi potest, ex studio populi, quo in illos tanquã in Magistros suos feruntur, & ex prudentia, qua Patres ita hæctenus moderatè processerunt, vt nullam illi offensionis causam darent. Altera fuit ipsius Episcopi in Iaponiam aduentus, & legatio ab Indiæ Prorege aliàs ad ipsum missa. Tertia denique

fuit ex commercio valdè utili,  
 quod toti regno per nauem Lusita-  
 nam infertur, quod dissolutum iri  
 patebat, si eorum Patres Spiritales  
 atque interpretes, eadem cum alijs  
 sentètia inuoluisset. Si idem præte-  
 rea vrgeat: Si Patres Societatis Re-  
 gis sententia comprehensì non fue-  
 rint, cur ergo **TRES MARTYRES**  
 (de quibus hic præcipuè agimus)  
 martyrio vna cum alijs affecti fue-  
 rint? Huic responderi potest, i. id ab  
 Ozacensi Governatore factum, qui  
 cum statim initio ( ante sententiam  
 legis clarè explicatam ) hos tres in-  
 scribi ac custodiri mandasset, eos-  
 dem, ne quidem post sentètiã ex-  
 plicatã dimisit, sed Meacum, vna  
 cum alijs 4. misit, siue hoc ex seipso  
 fecerit, siue monitu Fescigameꝝ ami-  
 ci sui, qui Patres Societatis vna cum  
 alijs puniri volebat. 2. Adhæc cum  
 P. Organtinus; per certos homines,  
 id ipsum Gibonoscio Meaci 1. Ia-

ma.

nuarij nuntiaffet, respondit ille; dolere se de infelici casu, sed non videre remedium, eo quod veredum sit, ne, si Regem alloquatur, existimantem, nullum Ozacæ fuisse, ille ira inflammatus; (vt mutabilis est ac præceps) omnes in crucem agi iubeat. 3. præcipuè cum *noster Paulus Michi* vnà cum socijs ad mortem pro Christo tolerandam anhelaret. Sic ergo res tota à Patribus Societatis (cum suo officio hoc tempore satisfecisse viderentur) diuinæ providentiæ, cum summa voluntatis resignatione commendata est.

§. 5. *Diarium eorum, quæ B. B. Martyribus euenerunt ab 8. Decemb.*

*ad 5. Februarij.*

8. Decemb. cum ex causis §. 7. dictis persecutio erupisset, 9. Decemb. descripta sunt Ozacæ, trium Martyrum nostrorum nomina, à Ministris Gubernatoris, & ædibus ad-

B. 5;      hibita.